Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-837467-p0001-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-837467-p0002-6

1743

C 3r 9

8

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

SISTENS

# SINGVLARIA IVRIS ANHALTINI

DE

# REBVS CREDITIS

ET DE

# PROCESSV EXECVTIVO

QVAM

*CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS*

*REGIAE FRIDERICIANAE*

SVB PRAESIDIO

DOMINI

**SIMONIS PETRI GASSERI ICti**

POTENTISSIMO REGI BORVSSIAE A CONSILIIS INTIMIS NEC NON BELLICIS ET DOMANIAL. IVRIVM ET RERVM OECONOMICO CAMERAL. ANTECESSORIS SCABINATVS IN DVCATV MAGDEBVRGICO SENIORIS ORDINIS IVRE-CONSVLTORVM DECANI

*PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS*

*CONSEQVENDIS*

D. IX. AVG. MDCCXLIII.

*H. L. Q. C.*

PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT

**FRIDERICVS DANIEL CLAEPIVS**

COTHENA-ANHALTINVS.

---

*HALAE SALICAE*

TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI ACADEM. ET SENAT. TYPOGR.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-837467-p0003-1

# OECONOMIA.

§. I. *De arbitrio iudicis in genere.* §. II. *De effectu hodierno differentiæ inter arbitrum a iudice datum et compromiſſarium.* §. III. *De differentia inter actiones arbitrarias et bonæ fidei.* §. IV. *Verum arbitrium iudicis conſiſtit in directione proceſſus.* §. V. *Adplicatio ad ius Anhaltinum de rebus creditis, et exinde deſcendentem conditionem certi æque ac incerti.* §. VI. *Quid proprie ſit inſtrumentum guarentigiatum.* §. VII. *Requiſita illius examinantur.* §. VIII. *Quodnam recte dicatur inſtrumentum iudiciale.* §. IX. *Quid hoc ſibi velit, quod de iure Anhaltino, inſtrumentum publicum recognitione non indigeat.* §. X. *Mandatum de ſoluendo in iure Anhaltino quomodo capiendum.* §. XI. *Nimirum pro mandato cum clauſula.* §. XII. *Quomodo fiat recognitio priuatorum documentorum.* §. XIII. *Quomodo capienda recognitio per teſtes.* §. XIV. *Quomodo eatenus diſtinguendum.* §. XV. *Singulare iuris Anhaltini, quod contra inſtrumentum guarentigiatum admittatur probatio per teſtes.* §. XVI. *Differentia iuris An-*

*haltini et Saxonici quoad reconuentionem.* §. XVII. *Origo reconuentionis ex compenſatione, vbi de ſeparato iudicio ſimul agitur, et an hodie dentur exceptiones iuris.* §. XVIII. *An de iure Anhaltino iuramenti delatio locum habeat, contra inſtrumentum guarentigiatum.* §. XIX. *An exceptio non numeratæ pecuniæ committi poſſit iuriiurando.* §. XX. *Dubia iuris Anhaltini reſoluuntur.* §. XXI. *Genuina ratio traditur, quare contra matrimonium locum habeat iuramenti delatio.* §. XXII. *Singulare iuris Anhaltini de acceptatione iurisiurandi, et an quoad probationem pro exoneranda conſcientia prohiberi poſſit regreſſus ad iusiurandum.* §. XXIII. *Sequitur executio ſecundum ius Anhaltinum, vbi de mulcta executionis, vulgo* Hülfs-Gelder. §. XXIV. *De executione in pignus ſpeciale.* §. XXV. *De electione creditori relicta, vt et de læſione quoad licitationem.* §. XXVI. *Triplex gradus in iure Anhaltino proponitur.* §. XXVII. *Alia eſt ratio reluitionis intra annum, et qualis.* §. XXVIII. *De executione in bona feudalia, etiam quoad ſubſtantiam, quamuis agnati vel ſimultanee inueſtiti non conſenſerint, vel debitum non ſit feudale.* §. XXIX. *Hæc ſingularia paulo altius ponderantur.* §. XXX. *De executione in nomina, et an electio competat ſoli debitori.* §. XXXI. *Remouetur dubium iuris ciuilis Romani, vbi ſimul de hodierna ſubhaſtatione nominum.* §. XXXII. *Singularia de vſuris earumque ceſſante odio.* §. XXXIII. *Vt et de vſuris vltra alterum tantum, et in concurſu creditorum.* §. XXXIV. *Explicantur textus ſacræ ſcripturæ de odio vſurarum mordentium.* §. XXXV. *Coronidis vice additur reſponſum iuris pro exemplo, quantum valeat arbitrium iudicis.*

§. I. Quan-

## §. I.

QVantum valeat arbitrium iudicis in omnibus fere iudicii partibus et cauſis, erudito tractatu docuit MENOCH. *de arbitrar. iudic. quæſt.* vbi ſtatim ab initio *lib. I. in proœm. n. 2.* refutauit traditionem aliorum, quod paucisſima arbitrio iudicis ſint relinquenda. Rectius enim PLATO *de legib. lib. 9.* teſtatur, omnia lege comprehendi non potuiſſe. Accedit, quod minima circumſtantia aliam ſuperaddat legibus applicationem, et variationem, vnde incredibile dictu, quantum requiratur ad rite formandam analogiam iuris, et regulam quandam, ex variis textibus concinnatam, cum tamen hæc præferenda ſit textui cuidam in ſe, CORVIN. *in aphoriſm. digeſt. ad tit. de diuerſ. reg. iur.* idque ex euidenti ratione, quod regula ex diuerſis textibus coniunctim ſumtis eruatur, et hoc eſt, quod in *l. 1. ff. d. R. I.* dicitur: Non ex regula ius ſumatur, ſed ex iure, quod eſt, regula fiat.

§. II.

Equidem iure Romano magna differentia erat, vtrum Prætor iudicem daret an arbitrum, mediante formula: *Arbitrum dabo.* De qua paſſim egit Dn. PRAES. *in diſſert. de iudicio duplici*, vbi ſimul oſtendit, quod adhuc hodie magna ſit differentia inter arbitrum a iudice datum, et compromiſſarium, quodque poſterioris arbitrio ſemper ſtandum, prioris non æque, ſed boni viri arbitratui, ſeu correctioni iudicis locus ſit, veluti ſi de probandis fideiuſſoribus quæratur, pro quanta ſumma fideiuſſor admitti poſſit, vel quantitas dotis pro facultatibus patris determinanda, aut pretium quoddam æſtimandum, et arbiter enormiter excedat. Iudices vero olim dabant Reges, deinde Conſules, poſtremo Prætores, et quidem ex ſingulis ordinibus per ſortitionem, coniectis in vrnam tabellariis ſuffragiis, ac iudicum nominibus, qui iudicarent. v. GVILIELMVS BVDAEVS in *poſterioribus annotat. in Pandect. ad tit. de muner. et honor.* vt et vir impenſe doctus CAROL. SIGON. *lib. 2. de antiqu. iur. ciuium Roman. cap. 18.*

§. III.

Præterea quædam actiones in iure noſtro in ſe dicuntur arbitrariæ, vt de dolo, quod metus cauſa, ad exhibendum, de eo quod certo loco, Publiciana, Seruiana et quaſi Seruiana, quæ hypothecaria dicitur, rerum amotarum, rei vindicatio, noxalis, confeſſoria et negatoria, Pauliana, finium regundorum, redhibitoria, et pauciores aliæ, de quarum differentia ab actionibus bonæ fidei et variantibus interpretum opinionibus multa tradidit MENOCH *de arbitr. iud. quæſt. lib. I. quæſt. 3.* quæ tamen difficultates facilius componi poſſunt, ſi actiones bonæ fidei ex genuina ſua natura repetantur,

tantur, nimirum vt ſuppleri potuerint, quæ in conventionem non erant deducta, veluti de præſtatione doli, euictionis, vſurarum, non quidem ex æquitate prætoria, ad quam vtplurimum recurrunt, ſic enim prætor ſub hoc prætextu omnia interuertere potuiſſet, ſed ob laxiorem formulam ipſi in albo iam præſcriptam, cui de emto, vendito, locato, conducto etc. teſte BRISSON. *de form. pop. Roman.* omnia iam erant inſerta, arbitrariæ vero actiones vtplurimum pœnale quid ſuperaddebant, in eum caſum, ſi is, cum quo agitur, ad iuſſum et iudicis interlocutionem actori non ſatisfecerit, rem reſtituerit, exhibuerit, ſoluerit.

§. IV.

Sed hæc omnia ſicut hodie vix vtilitatem præſtant, ita de vero iudicis arbitrio, præſertim quoad directionem proceſſus, longe aliter ſentiendum erit. Quæcunque enim tradunt ordinationes proceſſuales, et de reſecandis litibus præſcribunt, vana ſemper ſunt et irrita fiunt, niſi iudex legalis æque ac cordatus intercedat, nec facile dabilis erit ordinatio localis, ſecundum quam proceſſus ad ducentos annos et vltra non poſſit protrahi, præſertim ſi in omnibus partibus proceſſus quæſtiones incidentes cum permiſſis remediis ſuſpenſiuis indiſcriminatim admittantur, nec decernendo obuiam eat peritus iudex, et præueniat deuiis aduocatorum facile apparentibus, cum primarium iudicis officium conſiſtat in dirigendo proceſſu, ſicut generatim de reſecandis vel breuioribus reddendis proceſſibus tradidit Dn. PRAESES *in Poſit. Pract. cap. 33.* laudando *poſit. 2.* præprimis acta Hamburgenſia, quibus non temere aliquid inſeritur, quod non ipſam concernat cauſam principalem.

§. V.

Ampliſſimus nobis in *ordinatione Anhaltina* aperitur campus diſſerendi de arbitrio iudicis in cauſa mutui et debitorum, ſiue condictio certi ſiue incerti appelletur, quam poſteriorem ſpeciem permulti reiiciunt iuris interpretes, ac ſi omnes ſint certi et incerti, ex mutuo vero ſemper certi, negligendo ipſam rubricam tituli de rebus creditis, vbi expreſſe additur, *ſi certum petatur*, quis vero negaret, ſæpius incertam eſſe æſtimationem, quapropter ſuccurrit condictio Triticiaria, cuius natura ſuppletoria abunde ſatis deſcribitur in *l. I. ff. d. condict. Tritic.* vnde a nonnullis dicitur actio Franciſcanorum, quod numeratam pecuniam ſecum non ferat. MORNACIVS *ad dict. tit. ff. d. condict. Tritic.* Hæc enim certam ſemper habet æſtimationem, vt arbitrium iudicis non requiratur, nec forte diſſenſiſſet GERARDVS NOODT *ad iſtum titulum ff.* niſi ſub titulo *de rebus creditis* condictionem certi nimis generalem tradidiſſet, ſupponendo tamen negotium ſtricti iuris. Non vero nouum eſt in iure noſtro, vt quoad negotia quotidiana et frequentiora duplex actio et diſtinctior proponatur, ſicut actio iniuriarum et ad reparandum damnum iniuria datum actio L. Aquiliæ, quippe quæ neutiquam reſtringenda ad damnum ſine iure datum, ſed et in *l. 5. ff. ad L. Aquil.* extenditur ad ipſum dolum. V. MENCKEN *in ſyn. pand. ad dict. tit.* §. 1. quod praxis quotidiana comprobat.

§. VI.

Venimus nunc ad ſingularia iuris Anhaltini de mutuo et rebus creditis, vbi ſtatim ab initio in *ordinat. provincial. tit. XI.* obuenit differentia inter publicum et priuatum inſtrumentum, nec tamen dicitur, quod vtrum-

que non poſſit eſſe guarentigiatum, ſed diuerſus ſolummodo modus tractandi et procedendi videtur traditus, de quo deinceps; neque enim hic textus excludit reliquas res creditas præter paratam pecuniam, quod ex addita ratione generali facile pateſcit: **Dann menſchlichen Glauben und Ehrbarkeit nichts gemäſſers, dann Treu und Glauben, und was ſich einer gegen den andern verbunden, treulich zu halten**, nam guarentigiare voce Italica idem eſt, quod firmare, et ſic inſtrumentum guarentigiatum dicitur guarentigiæ firmitatis ac præciſum nec non ratum atque firmum. PARLADOR. *rer. quotid. lib. 2. §. 11. de inſtrum. guarentig. n. 3.* ſqq. conf. IASON *in l. 1. §. ſi quis ita num. 28. ff. de V. O.* Non vero errabimus, ſi dicamus, Italis inſtrumentum guarentigiatum idem fuiſſe, quod iudicialiter confirmatum, et ita hanc nationem fraudibus quondam Romanis obviam ire voluiſſe, quoad difficultates non numeratæ pecuniæ et alias infinitas, quod deinceps, fruſtrato conſilio priori, melius obtinuit per proceſſum cambialem.

§. VII.

Requirunt tamen doctores vtplurimum ad inſtrumentum in continenti liquidum, vt vitio externo careat, ne appareat ruptum vel cancellatum aut raſum; ſed nec hoc indiſcriminatim verum eſſe exiſtimamus, præſertim ſi arguatur ipſe debitor, quod inſtrumentum vitiauerit a ſolutione ſe liberaturus, vbi ſi de indiciis conſtet, inquiſitioni locus eſſe poteſt, quieſcente interea cauſa ciuili; imo vero debitorem, cambium a notario præſentatum lacerantem, incarceratum fuiſſe, non eſt nouum. Porro requirunt, vt dies ſolutionis venerit; ſed addimus, dummodo vſuræ quotannis præſtitæ, vel ſtatus debitoris poſtea notorie non deterioratus.

Deinceps requirunt cauſam debendi ſpecialem inſtrumento inſertam; ſed quia hoc ſæpius fraudi occaſionem præbet, ideoque mutatum eſt in *nouiſſim. ordinat. proceſſus Saxon. in addit.* §. 5. Ita extra Saxoniam quoque arbitrium iudicis eatenus non excluditur, ſi quis certam ſummam ſe debere, et bona fide ſoluturum eſſe promiſerit. Denique requirunt nonnulli, vt biennium præterlapſum, et negotium ſit vnilaterale; at vero ſicut de priori deinceps, quoad probationem per teſtes, erit dicendi locus: ita poſterius ex ipſis principiis Saxonicis iam refutauit Dn. PRAES. *in poſ. pract. cap. 26. poſ. 10. et 11.*

§. VIII.

Diximus, in iure Anhaltino differentiam quandam formari inter publica et priuata inſtrumenta, ibi: **gerichtliche oder andere** publica inſtrumenta, et ante omnia quidem formandus eſt genuinus conceptus, quænam inſtrumenta dicantur iudicialia, quia pro talibus primo non habenda, quæ a magiſtratu, ipſo contractum celebrante, condita, tunc enim non aliter ac priuatus conſiderari poteſt. *de* WERNHER *ſel. obſ. for. p. 2. obſ. 497. n. 1. 2.* Præſertim vero confundi ſolet inſtrumentum iudicialiter confirmatum cum ipſo iudiciali, cum tamen prius facile obtineri poſſit, et actui maiorem vim non tribuat; poſterius vero aliter non admittimus, quam ſi partes ipſæ præſentes obligationem in iudicio contraxerint, ne mandatarii qualitas et legitimatio denuo examinanda veniat, vel debitum plane negetur, quod fieri nequit, ſi negotium a partibus ipſis in iudicio propoſitum; vid. CARPZ. *part. 2. conſt. 23. def. 23.* quamvis hæc differentia extra Saxoniam plerumque negligatur.

§. IX.

Imprimis vero in citato textu iuris Anhaltini recepta videtur doctrina iuris communis contra Saxonicum, quod inſtrumenta publica recognitione non indigeant, ſed ſaltem priuata in verbis: Wo aber Kläger Priuat-Schriften ꝛc. dieſelbe entweder alsbald zu recognoſciren oder endlich zu diſſitiren, ſed ſtatim additur: oder binnen Sächſiſcher Friſt gnugſame Urſachen anzuzeigen, warum er das zu thun nicht ſchuldig, quo ipſo ſine dubio exceptiones in continenti liquidabiles indigitantur, et hæc eſt ratio, cur inter ius commune et Saxonicum in effectu nulla remaneat differentia, vtroque iure enim recognitio fit ſaluis exceptionibus, nec Saxones eatenus requirunt iudicialium inſtrumentorum recognitionem, quatenus admittitur iurata diffeſſio, quæ abſurda foret contra propriam confeſſionem iudicialem, ideoque fruſtranea eſt obſeruantia et inutilis cautela nonnullorum iudiciorum in Saxonia, vbi ſtatim poſt obligationem iudicialem nouam conficiunt regiſtraturam, quod denuo comparuerit debitor, et inſtrumentum obligationis recognouerit, cum inſtituta lite nihilominus iteranda ſit recognitio, et per apocham quoque ac ſimiliter poſſit euaneſcere.

§. X.

Sicuti vero dicto iure Anhaltino loco recognitionis ſtatim decerni debet monitorium vel mandatum de ſoluendo; ita ex hac diſpoſitione confeſtim apparet, quod capienda non ſit de mandatis ſine clauſula, hæc enim et iuri naturæ, quo pertinet regula: audiatur et altera pars, et legibus imperii contrariantur, adeoque tanquam ipſo iure nulla impune contemni et ſperni poſſunt, ſunt verba GAILII, quamuis in ſe dura, *lib. I. obſ.*

*obſ. 13. n. 2. vid. quos ibi allegauit textus et doctores.* Equidem excipiuntur in ipſis legibus imperii et praxi communi quidam caſus, veluti periculi in mora et damni irreparabilis, aut ſcandali publici; ſed tunc ratio eſt in promptu, quia alter vel plane non, vel nondum poteſt audiri. Nam quod addunt crimen fractæ pacis publicæ, hoc ad priuatos ſecundum hodiernum ſtatum publicum Germaniæ vix amplius poteſt applicari, quamvis non deſint maleuoli homines, qui arma minantur et aliis inſultant, imo vel ipſi principi; hoc enim caſu proceſſus inquiſitorius ab ipſa captura incipit, nec ſaluus conductus obtinetur, niſi ab ipſo principe, ne quidem a iudiciis imperii contra iura ſuperioritatis territorialis.

§. XI.

Reſtant mandata cum clauſula, nempe ſi preces veritate nitantur, hæc ſane vtplurimum vana ſunt, quia citandus vsque ad extremam iterationem et comminationem ſilere ſolet, fretus auxilio, quod nihilominus tandem audiri debeat, imo vero ante terminum ſæpius in ſcriptis adeo probabilem et ſpecioſam proponit cauſam ſuam, vt non deſint iudices minus exercitati, qui decernant, **Kläger ſolle bey ſo geſtalten Sachen von unnöthigen Klagen abſtehen.** Nihilominus tamen, cum hæc omnia ad abuſum pertineant, sereniſſimi legislatores Anhaltini mandata cum clauſula contra debitorem ob inſtrumenta publica decerni debere, æquum duxerunt ac iuſtum, non enim omnes debitores bonam fidem reſpuunt, ſed ſæpius ad primum mandatum ſolvunt, præſertim ſi ipſis prima inſinuatio fiat, antequam ſeductores et litium cupidi intercedant. Non ergo peccabit iudex, ſi ad primum libellum iunctis inſtrumentis

publi-

publicis ita decernunt: fiat mandatum cum clauſula et euentuali termino.

## §. XII.

Sequitur recognitio inſtrumentorum priuatorum, quatenus iſtius loco permiſſa eſt iurata diffeſſio, et ſingularis eſt diſpoſitio iuris Anhaltini, quod cauſæ recognitionem impedientes intra terminum Saxonicum proponendæ, alioqui manus et ſigilla pro recognitis habenda, et quod iuſtum eſt decernendum, poſtpoſitis omnibus remediis ſuſpenſiuis, vbi tamen non excludendas putamus exceptiones in ipſa executione liquidabiles et permiſſas, quoniam de ſola recognitione quæſtio eſt, quæ ſemper intelligitur ſaluis exceptionibus, nec hæ excluduntur, quamuis inſtrumentum in contumaciam pro recognito habitum. LVDOVICI *in proc. ciuil. c. 3. §. 18. ibique all.* CARPZ. et BRVNNEM. De cetero, quoad neceſſitatem recognoſcendi inſtrumenta priuata in ſe, quatenus diſtant ab inſtrumentis publicis, ius Anhaltinum conuenit cum iure communi, nam ſcriptura priuata ne contra ſcribentem quidem plenam fidem facit *c. 2. X. de fide inſtrum. l. 11. qui pot. in pign. l. 13. et 14. C. de probat.* ſed recognitio requiritur *l. 15. §. fin. ff. de reb. aut iud. poſſid.* hæc vero vim confeſſionis habet *l. 25. §. vlt. ff. de probat. l. 19. C. de fid. inſtrum.* nec ſufficit quoad ſolam ſcripturam, ſed et quoad contenta fieri debet: Beklagter habe das Document ſub A. geſchrieben oder unterſchrieben, ſey auch die darinn enthaltene 1000 Thaler ſchuldig worden.

§. XIII.

Illud vero cum grano ſalis capiendum, quod in diſpoſitione iuris Anhaltini additur de recognitione per teſtes loco iuratæ diffeſſionis, quia generatim ſolummodo traditur: **Jedoch da der Kläger an ſtatt der eydlichen** Diffeſſion **die** Documenta **durch Zeugen wolte recognoſciren laſſen, ſoll ihm ſolches unbenommen ſeyn.** Quomodo vero comparata eſſe debeat hæc recognitio, admodum ambigitur, et non eſt dubium, quin efficacior ſit, ſi teſtes præſentes fuerint et ſcribi viderint, quam vnicam et genuinam admittunt MOLLER *lib. 4. ſemeſtr. cap. 43. n. 4.* RVLAND. *de commiſſar. part. 2. lib. 5. cap. 39. n. 32.* NICOLAI *in proc. cap. 53. n. 5.* BERLICH. *part. I. concl. 44. n. 22.* vid. STRYCK. *vſ. mod. ff. ad tit. de fid. inſtrum.* § 5. Alii, et regulariter quidem diſtinguunt inter proceſſum ordinarium ac ſummarium quoque et inter proceſſum executiuum; in illo admittunt recognitionem per teſtes vt et comparationem litterarum, in hoc neutiquam. RIVIN. *ad O. P. S. tit. 25. en. 29. et 31.* de WERNHER *ſel. obſ. for. P. I. obſ. 104. et P. 3. obſ. 98.* Alii contra nec in proceſſu executiuo arbitrium iudicis poſthabendum exiſtimant, quo minus ipſe recognitionem per teſtes interdum admittere poſſit. de BERGER *el. diſc. for. tit. 25. obſ. 5. not. 2. p. 770. et proc. exec. p. 61. ſeq. add.* B. de LYNCKER *dec. 404.*

§. XIV.

Nos in tanta varietate ita diſtinguendum putamus, vt prima ſeu genuina ſpecies recognitionis per teſtes, qui in ipſo actu ſcripturæ præſentes fuerunt, indiſtincte admittenda ſit, etiam quam maxime de iure Anhaltino,

ſe-

ſecundum quod probatio per teſtes intuitu exceptionum permittitur, quia auditis teſtibus de veritate ſatis conſtat; ſed hoc non poteſt aſſeri de vulgari conceptu recognitionis per teſtes, quæ vix idem operari valet, quod comparatio litterarum, in hac enim ſupponitur eiusdem autoris ſcripturæ indiſputabilis ſimilitudo, in illa vero per teſtes demum, quibus ductus litterarum ſcribentis aliunde cognitus, erui debet dicta ſimilitudo, non ipſa veritas, quid ſi vero quis affirmet, prout non nemo fecerat, es ſey die Unterſchrift ſeiner Hand ſo ähnlich, wie ein Ey dem andern, er habe es aber nicht geſchrieben. Si tamen euidens ex aliis quoque adminiculis appareat periurium, in effectum iuramenti ſuppletorii ab actore præſtandi omnem regulam ſuas pati exceptiones, certum eſt.

## §. XV.

Etenim de iure Anhaltino admodum ſingulare, quod contra inſtrumenta liquida et guarentigiata admittatur probatio per teſtes; ita quippe in *cit. text. ord. proc. tit. XI.* §. Wo nun obgeſetzter maſſen klare Briefe und Siegel vorhanden, additur in ſequentibus: Es wäre denn, daß jemand mit Urkund oder Zeugen alſobald und zum längſten vor Ablauf des Hülf-Termins beweiſen könte, daß er ſolchem ſeinem Briefe und Siegel zuvor albereit Genüge gethan und bezahlet hätte, oder daß er richtige Gegenforderung und compenſation fürzuſchützen hätte, ſaluo tamen iure retorſionis quoad exteros, ex quo vberius conſtat, ſereniſſimos legislatores a reliquis iuribus recedere voluiſſe, et quis denegaret actori reprobationem, ſi forte

ſolutio quidem facta ſed in aliam cauſam. Obiici poſſet hoc loco, quod nec de iure Saxonico proceſſus executiuus omnem excludat probationem per teſtes, veluti ſi opponatur exceptio non numeratæ pecuniæ; ſed eatenus magna eſt differentia, vtrum probatio numerationis proceſſum executiuum ſuſpendat, an vero plane tollat. Prius ſine dubio verum eſt, quia probata numeratione remanet ſola recognitio, quæ admodum diſtat a litis conteſtatione in proceſſu ordinario, ſicut ex SCHWENDENDOERFFERO iam obſeruauit Dn. PRAESES *in poſ. pract. cap. 27. poſ. 8. cum ſequ.*

## §. XVI.

Manet igitur hoc ſingulare iuris Anhaltini, cum alias omni iure poſt recognitionem inſtrumenti guarentigiati nihil reſtet, niſi ſolutio et executio, reiectis in reconuentionem exceptionibus altioris indaginis et per teſtes probandis. LVDOVICI *in proc. ciuil. c. 3. §. 21. et doctores communiter.* Accedit, quod intuitu ipſius reconuentionis quoque diuortium a iure Saxonico faciat Anhaltinum, ſecundum illud enim reconuentio non admittitur, niſi finita conuentione et in cauſis connexis CARPZ. *part. I. conſt. 7. def. 8.* de WERNHER *ſel. obſ. for. p. I. obſ. 237.* in tantum, vt ne quidem ſeparatim et coram alio iudice per modum conuentionis tractari poſſit. CARPZ. *cit. loc. def. 9.* RIVIN. *ad O. P. S. tit. 6. en. 2.* Sed quia hoc vtplurimum iniquitatem ſapit, et fundatius ius reconuentionis interuerti poteſt per præuentionem, hinc optima ratione ab iſta diſpoſitione Saxonica receſſit ius Anhaltinum in *ord proc. tit. 8.* ex addita ratione: Dieweil es aber oft geſchehen kan, daß die conuentio

mit Fleiß calumnioſe angeſtellet wird, damit der reconuenient, ſo oftmals ein beſſer Recht hat, als der Kläger ſelbſt, per exceptionem præuentionis an ſeinen befugten Rechten aufgehalten werden möge.

## §. XVII.

Præterea inutilis ſæpiſſime redditur exceptio compenſationis, cuius cauſa tamen quam maxime neceſſaria et vtilis eſt reconuentio, quia excipiendo nihil conſequimur, ſed repellimus tantummodo actorem, adeoque compenſatio ex diuerſa cauſa in ipſo foro Saxonico auditur in eodem proceſſu, ſi ſit ordinarius, dummodo vna cum litis conteſtatione opponatur, ſicut reliquæ peremtoriæ. CARPZ. *part. I. conſt. 3. def. 14.* tollit enim compenſatio ſicut ſolutio debitum ipſo iure *l. 4. C. d. compenſ.* §. *30 f. de action.* quamuis hoc quoque de iure hodierno quoad omnes exceptiones peremtorias verum ſit, cum non agnoſcamus exceptiones iuris, provt in legibus Romanis tractantur, ſed omnes ſint facti. Nonne igitur fruſtranea redderetur exceptio compenſationis, ſi actor parum aut nihil probet, reus vero egregiam ſummam ſibi ab actore deberi reprobando ſatis euincat? Ad ſeparatum vero iudicium quod attinet, cuiuslibet forum ordinarium ſequi debet, qui agit, nec deſunt exempla, vbi tres, quatuor et plures proceſſus ventilantur et tractantur inter easdem perſonas, dummodo cauſæ adeo non ſint connexæ, vt præiudicium ſibi inferant. Et hoc eſt, quod de ſeparato iudicio volunt ſereniſſimi legislatores Anhaltini *cit. tit. 8. ord. proc.* in verbis: Dieſelbe aber alsdann in ſimultaneo proceſſu nicht erörtert, ſondern abſonderlich *per*

*modum conuentionis* tractiret werden, auch eine der andern nicht hindern, ſie wären denn mit einander alſo verwandt, daß res iudicata in einer der andern ein præiuditz machte, quod Saxones non ſemper obſeruant.

## §. XVIII.

Conſequens eſt, vt de iuramenti delatione contra inſtrumentum guarentigiatum diſpiciamus. Negant Saxones, locum habere, quia eſt ſpecies legitimæ probationis, vel ſaltem loco eius habetur, et absque cauſæ cognitione iudicisque interlocutione actori non poteſt imponi. CARPZ. *part. I. conſt. 8. def. 15. et ab eo all.* RAVCHBAR, MOLLER, ZANGER et alii. Accedit, quod proceſſus celerior ex inſtrumento liquido non ſit adinuentus in fauorem rei, cuius eſt fugere, ſed actoris. At vero hæc omnia, cum de iure communi æque vera ſint, nos non mouent, quin contrarium rectius ſtatuamus, præſertim de iure Anhaltino, vbi ex antea dictis ipſa probatio per teſtes admittitur; nam iuramenti delatio non tantum eſt ſpecies probationis, ſed et releuatio ab onere probandi, nec reus impedit celeriorem proceſſum, ſed actor ipſe, qui ſtatim iurare poteſt, ſi ſalua conſcientia poſſit, ſin minus, dolo non caret, et manifeſta turpitudine notatur in *l. 38. ff. de iureiur.* Præterea fauor non tam eſt perſonarum, quam cauſæ et veritatis, cuius ſuppreſſio non ſine ratione a Canoniſtis dicitur peccatum mortale, veritas vero eſt vtrique parti communis, nec ſane deſunt exempla quotidiana Saxonica de diuturnitate proceſſus executiui et celeriori expeditione proceſſus ordinarii extra Saxoniam, quod in vtro-

que

que Dicaſterio Hallenſi experitur Dn. PRAESES, qui proinde plus ſimplici vice laudauit acta Hamburgenſia, quod vix vnquam in tantam excreſcant molem in ordinario, ac alibi vtplurimum in ſummario ob defectum directionis proceſſus, in quo primarium conſiſtit officium iudicis periti æque ac cordati.

## §. XIX.

De exceptione non numeratæ pecuniæ quæri ſolet: an poſt biennium committi poſſit iuramenti delationi, quod a plurimis negatur ob textum in *l. 14. §. 3. C. d. non numer. pecun.* v. LVDOVICI *in doctrin. ff. ad tit. d. reb. cred.* §. *22.* Sed hic iam eſt næuus, quod allegetur textus iuris Romani, ſecundum quod olim poſt quinquennium, ex conſtitutione Iuſtiniani poſt biennium nulla amplius probatio permittebatur, ſed contractus dicebatur litteralis, §. *vn. I. de litter. oblig.* qui proinde firmam dicitur producere obligationem, etiamſi debitor nihil acceperit, ſed ſicuti nomina quondam ex tabulis domeſticis conſtabant, quæ coram cenſoribus per omnia luſtra iureiurando erant corroboranda; v. HOTOMANN. *ad dict. text. inſtit.* ita hodie non eſt dubium, quin exceptio non numeratæ pecuniæ intra biennium ſolummodo ſit oneris probandi in creditorem translatiua, poſt illud vero admittatur probatio contrarii, quæ præter iuramenti delationem difficillima foret, ſi non impoſſibilis.

§. XX.

§. XX.

Obſtat de iure Anhaltino, quod probatio per teſtes reſtricta ſit ad exceptionem ſolutionis et compenſationis, ac in ſpecie excluſa videatur exceptio non numeratæ pecuniæ in *ordin. prouin. tit. 11.* ibi: Da er aber ſonſten andere Schutzrede und Behelf, die nicht in continenti durch unleugbare Urkunden, oder ſonſten ex actis oder eigenem Bekäntniß des Gegentheils erweislich ſind, inſonderheit exceptionem non numeratæ pecuniæ und dergleichen, wolte vorwenden, die ſollen vor der Zahlung nicht zugelaſſen, aber hernacher ꝛc. Sed ſicuti expreſſis verbis non dicitur, quod excludenda ſit iuramenti delatio, ita hoc quoque caſu recurrendum ad analogiam iuris et indubitatum iuris Anhaltini teſtimonium, quod in materia de rebus creditis admodum recedit a proceſſu Saxonico. Præterea ex antea dictis conſtat, iuramenti delationem de iure communi æquiparari probationi, quæ fieri debet in continenti, et ſic releuationem eſſe a difficiliori onere probandi per teſtes, vnde in plurimis locis Germaniæ, ſicut in vicino ducatu Magdeburgico permiſſa eſt in ipſo ſummariiſſimo et proceſſu executiuo. Addimus tamen, in dubio præſertim ad obſeruantiam eſſe reſpiciendum, nec excludi hac parte arbitrium iudicis pro qualitate circumſtantiarum emergentium.

§. XXI.

Enimuero nulla iuramenti delatio ſubſiſtit, nec effectus ei tribuitur, antequam per ſententiam iudicis comprobetur. *l. 12. §. 1. C. d. reb. cred.* Et hæc eſt vnica et ge-

genuina ratio, cur in matrimonialibus quoque admittatur, ne ſcilicet pro lubitu recedant contrahentes a ſponſalibus. Sicuti vero transactionem permittere poſſunt conſiſtoria, imo et ſuadere ſolent ob infelix matrimonium; ita quoque iuramenti delationem poſſunt corroborare, quam rationem ipſe in theſi alias diſſentiens et ſine cauſa ambigens tradit CARPZ. *part. I. conſt. 12. def. 30. n. 3. et 4.* Veriſſimum autem et omni iure certum eſt, acceptationem iurisiurandi non requiri, antequam ſententia, quæ illam iniungit, tranſierit in rem iudicatam, ſed terminus acceptandi de iure communi non eſt præfixus. LVDOVICI *in proc. ciuil. c. 19. §. 9. ſequ.* Vnde pars aduerſa implorare debet iudicem, vt terminum præfigat, quamuis et hunc ipſi ſententiæ inſerere nullibi prohibeatur iudex. Quo minus vero hoc fiat, vel tamen rariſſime obſeruetur, neglectus theoriæ proceſſus in cauſa eſt, quæ ſua ſubtilitate ipſam theoriam iuris ſæpiſſime ſuperat.

## §. XXII.

De iure Saxonico certum eſt, acceptationem intra octiduum fieri debere, *ord. proc. Sax. tit. 18. §. 9.* ibique MARTINI *n. 11. et 30.* quod in multis quoque aliis locis, vbi proceſſus Saxonicus viget, obſeruatur. Sed ab hoc iterum recedit ius Anhaltinum in *ord. proc. tit. 9.* ſecundum quod ſufficit, dummodo acceptare iuſſus intra terminum Saxonicum ſe offerat; ibi: Da nun entweder dem Kläger oder dem Beklagten ſolchen Eyd zu ſchweren zuerkant worden, ſoll ſich derſelbe binnen Sächſiſcher Friſt, von der Zeit an zu rechnen, da ſolcher

Beſcheid ſeine Kraft Rechtens ergriffen, zu Leiſtung des Eydes in Schriften erbieten. Additur in ſequentibus, quod permiſſa ſit probatio pro exoneranda conſcientia, ita tamen, vt intra eundem terminum Saxonicum articuli exhibeantur; non vero determinatur ibidem, an regreſſus pateat ad iuſiurandum, ſi nihil probatum fuerit. Iniquum eſſe hunc recurſum, et vtplurimum doloſe offerri probationem pro exoneranda conſcientia, docuit Dn. PRAESES *in poſit. pract. cap. 14. poſ. 26.* ex ratione, quod temporis lucrandi cauſa fieri conſueuit ab his, qui ſalua conſcientia iurare nequeunt, vnde in ordinatione nouiſſima Saxonica reprobatus eſt iſte regreſſus, et quis extra Saxoniam eatenus coarctaret officium iudicis, præſertim ſi de calumnia quodammodo conſtet, ſententia enim regreſſum euentualiter denegans, idem facit ius inter partes, quod ſtatutum, quia hoc non omnia comprehendere poteſt.

## §. XXIII.

Conſequens eſt, vt, omnibus rite peractis et abſolutis, ad executionem deueniatur, vbi quidem nota eſt differentia inter proceſſum executiuum et proceſſum executionis. Ad vtrumque ſpectare videtur *titulus XVIII. in ordin. proc. Anhalt.* ob verba initialia: Daß auf ergangene Urtheil, oder aber klare Brief und Siegel ſchleunige Hülfe dem anrufenden Theile mitgetheilet werde. Sed quoniam proceſſus executiuus *in ordin. prouinc. ſub tit. XI.* von Schulden iam admodum limitatus, prout hactenus, commonſtratis valde ſingularibus, monuimus; ita de ipſa executione nunc idem erit di-

dicendum, quæ quatenus in actionibus realibus fiat, ad nos non pertinet, in perſonalibus vero executio decernenda intra quatuordecim dies, quod de monitorio præcedenti capiendum putamus, quoniam ſtatim additur, finito termino Saxonico demum executionem fieri debere: **Daß, ſobald ſolche (nemlich Sächſiſche Friſt) ohne Befriedigung des Klägers verlaufen, die wirckliche** execution **gegen Erlegung der gewöhnlichen Hülf-Gelder, ſo bisher 5 von 100 geweſen, geſchehen ſolle.** Non vero deciditur, an hæ expenſæ etiam ſoluendæ ſint, ſi debitor actus executionis pro factis agnoſcat? Negant hoc CARPZ. *p. 3. dec. 276. n. 5. ſequ.* HORN. *cl. 12. reſp. 105.* BARTH. *hodeg. for. c. 3. §. 7. tit. p. 525.* ſed affirmatiua ceſſante obſeruantia verior videtur ex natura mulctæ executionis, quo proprie pertinent **die Hülf-Gelder,** nec rite explicantur per expenſas, quippe quæ tribuuntur partibus, mulctæ vero iudici, ob pertinaciam debitoris ſolutionem tardantis. conf. MENCKEN *in tract. ſyn. proc. ad tit. 39. ord. proc. Sax. §. 54. p. 533.* MARTIN. *ad dict. tit. 39. §. 21. n. 19. ſequ. vbi de quantitate diuerſa.*

## §. XXIV.

De cetero ordo executionis iuri communi relinquitur in *cit. text. ordin. proc. Anhalt.* nimirum, vt primo fiat in mobilia, niſi pignus ſpeciale ſit obligatum, *l. 2. C. de pignor. ibique* BRVNNEM. Vnde commendant cautelam, vt inſtrumento obligationis inſeratur clauſula: ſaluo iure variandi. STRYCK. *caut. contr. ſect. 2. c. 4. §. 18.* Sed de iure Anhaltino electio competere videtur credi-

tori in verbis: Wo nicht ein gewiſſes Unterpfand verſchrieben, und die Hülfe darinn zu thun begehret würde. Quod æquiſſimum eſt intuitu debitoris, quamuis de fideiuſſoribus certum fundum obſignantibus aliud dicendum, quia hi de certo obiecto executionis præciſe conueniſſe cenſentur, nec vltra illud tenentur. Porro quoad executionem in hypothecam ſpecialem in *ordin. proc. Anhalt* tres adduntur limitationes: Prima eſt, niſi aliud per ſententiam determinatum; ſecunda conſiſtit in proteſtatione creditoris concurrentis; tertia eſt, niſi pignus ſit in manibus tertii. Prima illa limitatio ſine dubio fundata eſt in autoritate rei iudicatæ; ſecunda pertinet ad doctrinam, qui potiores ſint in pignore, et ad interuentionem alterius; tertia ius retentionis ſupponit, ſed vtroque caſu poſteriori non excluditur ius creditoris executionem petentis, cum hoc tantummodo velit ſingularis hæc diſpoſitio, quod tam præciſe et ſtatim executio in pignus non poſſit fieri, neque enim ius retentionis excludit aliorum hypothecas, nec in concurſu creditorum adminiſtrationem alterius meliorem, ſaluo iure retentionis quoad fructus pendente concurſu, donec de prioritate conſtet, licet retinens deinceps vincatur. vid. omnino MEV. *part 3. dec. 255 p. 4. dec. 307. p. 7. dec. 40. et p. 8. dec. 373.* Et ſic facile conciliandæ omnes ambiguitates, cum alias defraudari poſſint hypothecarii anteriores, ſi tertio pignus tradatur. Sic quoque et cum hac limitatione capimus verba textus in dicta *ordin. proc. Anhalt.* Wann nicht ein anders verabſchiedet, noch von einem concurrirenden Gläubiger widerſprochen wird, oder wenn das verhypothecirte Gut nicht in eines tertii Händen iſt.

§. XXV.

§. XXV.

